



BOLETÍN DEL CLERO  
DEL  
OBISPADO DE LEON

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI  
LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA  
AD EPISCOPOS SCOTIAE

Venerabilis Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Scotiae

LEO P P. XIII

Venerabiles fratres: Salutem et Apostolicam benedictionem

Caritatis studium, quod Nos habet de salute dissidentium fratrum sollicitos, nequaquam cessare Nos patitur, si quos ab unico Christi ovili error varius segregatus tenet, ad complexum Pastoris boni revocare possimus. Vehementius quotidie miseram dolemus vicem hominum tanto numero, quibus christianae fidei abest integritas. Itaque et sanctissimi conscientia officii, et amantissimi hominum Sospitatoris, cujus personam nullo merito Nostro gerimus, tamquam suasu et instinctu permoti, contendere ab iis omni ope insistimus, ut instaurare nobiscum unius ejusdemque communionem fidei aliquando velint. Magnum opus, ac de humanis operibus longe difficillimum exitu: quod quidem perficere non nisi ejus est, qui omnia potest, Dei. Sed hac ipsa de causa non despondemus animum, nec deterriti a proposito sumus ob magnitudinem difficultatum, quas humana virtus perrumpere sola non potest. Nos autem praedicamus



*Christum crucifixum... Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (1). In tanto operis error, in tot malis quae vel premunt vel inmiuent, monstrare velut digito conamur unde sit petenda salus, cohortando, monendo universitatem gentium, ut levent *oculos in montes, unde veniet auxilium*. Quod enim Isaias praedixerat futurum, id comprobavit eventus: scilicet Ecclesiae Dei ortu divino divinaque dignitate sic eminent, ut se intuentium oculis plane conspiciendam praebeat: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles* (2).

Hujusmodi in curis consiliisque Nostris suum obtinet Scotia locum, quam Apostolicae huic Sedi diu multumque dilectam: Nos ipsi proprio quodam nomine caram habemus, ante annos viginti, libet enim commemorare, Apostolici ministerii in Scotis dedicavimus primatiis, cum altero ab inito Pontificatus die ecclesiasticam apud ipsos hierarchiam restituendam curavimus. Quo ex tempore praeclare vobis, Venerabiles Fratres, vestroque adnitente Clero, numquam non bono studuimus istius gentis, quam quidem sua insoles amplectendae veritati peridoneam facit. Nunc vero quoniam id aetatis sumus, ut proprius jam absit humanus exitus, etiam visum est alloqui vos, Venerabiles Fratres, populoque vestro novum Apostolicae providentiae documentum impertire.

Turbulentissima illa tempestas, quae in Ecclesiam saeculo decimo sexto incubuit, sicut alios nimium multos per Europam, ita Scotos maximam partem abstraxit a fide catholica, quam plus mille annis cum gloria retinuerant. Gratum Nobis est cogitatione repetere majorum vestrorum in rem catholicam non exigua promerita: itemque libet eos recordari, nec sane paucos, quorum virtute rebusque gestis Scotiae nomen inclaruit. At vero num hodie cives vestri abnuant meminisse vicissim, quid Ecclesiae catholicae, quid Apostolicae Sedi debeant? Cognita vobis planeque explorata commemoramus.—Est in vetustis annalibus vestris, Ninianum, hominem Scotum, cum ipsum legendis sacris litteris acrius cepisset studium in spiritu proficiendi, dixisse: «Surgam, circuibo mare et aridam, quaeram »veritatem, quam diligit anima mea. Itane tantis opus est? »Nonne Petro dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram »aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent »adversus eam?* Igitur in fide Petri nihil minus est, nihil obscurum nihil imperfectum, nihil adversum quod doctrinae nequam sententiaeque perversae, quasi portae inferi, praevalere

(1) I Cor., I, 23, 25.

(2) Is., II 2.



»sufficiant. Et ubi fides Petri nisi in sede Petri? Illuc certe, illuc mihi eundum est, ut exiens de terra mea et de cognatione mea et de domo patris mei merear in terra visionis »videre voluntatem Domini et protegi a templo ejus» (1). Itaque Romam venerabundus properavit, cumque ad sepulcra Apostolorum de ipso fonte et capite catholicae veritatis large accepisset, jussu mandatuque Pontificis maximi domum reversus, romanae fidei documentis cives imbuit, Ecclesiamque Gallovidiensem condidit, duobus ante saeculis, quam beatus Augustinus ad Anglos appulit. Hanc fidem S. Columba, hanc ipsam veteres monachi, quorum est Jonensis sedes tam claris nobilitata virtutibus, et ipsi summo servarunt obsequio et alios diligentissime edocuerunt. Quid Margaritam reginam memoremus, non Scotiae tantummodo, sed christiani nominis universi lumen et decus? Quae in rerum mortalium collocata fastigio, cum nihil tamen nisi immortalis ac divinum in omni vita spectavisset, suarum splendore virtutum orbem terrarum implevit. Jamvero si tantam excellentiam sanctitatis attigit, catholicae fidei afflatu impulsuque attigi. Wallace vero Bruceque, lumina vestri generis, nonne constantia catholicae fidei fortissimos patriae propugnatores praestitit? Mittimus innumerabiles alios utilissimos republicae cives, quos Ecclesia parens educere unquam destitit. Mittimus adjumenta cetera per ipsam vobis publice importata; ejus certo providentia et auctoritate, celeberrima studiis optimis domicilia S. Andreae, Glascae, Aberdoniae patuerunt, ipsaque est exercendorum judiciorum civilium constituta ratio. Quamobrem intelligimus satis fuisse causae cur honestissimum nomen *sanctae Sedis specialis filia* genti Scotorum adhaeserit.

Verum magna ex eo tempore conversio rerum consecuta est, fide avita apud plurimos extincta. Numquamne excitatum iri censebimus? Imo vero certa quaedam apparent indicia rerum, quae spem bonam de Scotis, adjuvante Deo, inchoare jubeant. Videmus enim lenius quotidie benigniusque haberi catholicos; dogmatis catholicae sapientiae jam non, ut fortasse antea, contemptum vulgo adhiberi, sed favorem a multis obsequium a non paucis; perversitates opinionum, quae nimium quantum impediunt judicium veri, sensim abolescere. Atque utinam vigeat latius pervestigatio veritatis; neque enim dubitandum, quin auctior notitia religionis catholicae, germana nimirum suisque e fontibus, non ex alienis petita, praejudicatas ejusmodi opiniones penitus ex animis abstergat.

---

(1) Excerpta ex historia vitae S. Niniani, Episcopi Candidae Casae seu Gallovidiae, in Scotia, a S. Aelredo abbate Rievallensi conscripta.



Scotis universis ea quidem tribuenda laus non meliocris, quod divinas litteras colere et revereri assidua consueverunt. Sinant igitur, nonnihil Nos de hoc argumento ad suam ipsorum salutem amanter attingere. Videlicet in ea, quam diximus, verecundia sacrarum litterarum inest velut quaedam cum Ecclesia catholica consensus: quidni queat redintegrandae unitatis initium aliquando existere? Ne recusent meminisse utriusque Testamenti libros se ab Ecclesia catholica, non aliunde, accepisse: cujus vigilantiae perpetuisque curis acceptum referendum, quod sacrae litterae maxime temporum ac rerum procellas integrae evasere.—Historia testatur jam inde antiquitus de Scripturarum incolumitate Synodum Carthaginensem III atque Innocentium I romanum Pontificem immortaliter meruisse. Recentiori vero memoria cogniti sunt tum Eugenii IV, tum Concilii Tridentini vigiles in eodem genere labores. Nos autem ipsi, haud ignari temporum, datis non ita pridem litteris encyclicis, Episcopos catholici orbis gravissime appellavimus, diligenterque monuimus quid opus esset facto, ut integritas ac divina auctoritas sacrarum litterarum salva consisteret.

Nam, in hoc praecipiti ingeniorum cursu, sunt plures quos libido fastidiosius quaelibet disquirendi, contemptioque vetustatis ita agat transversos, ut fidem sacro volumini vel elevare omnem, vel certe minuere non dubitent. Mimirum homines opinione scientiae inflati, iudicioque praefidentes suo, non intelligunt quam sit improbae temeritatis plenum, humano prorsus modulo metiri quae Dei sunt opera; eoque minus audiunt Augustinum alte clamantem: «Honora Scripturam Dei, honora »verbum Dei etiam non apertum, differ pietate intelligentiam» «Almonendi sunt studiosi venerabilium litterarum... orent »ut intelligant» (1). «Ne aliqui temere et incognitum pro cog- »nito asserant... nihil temere esse affirmandum, seu caute »omnia modesteque tractanda» (2).

Verumtamen cum Ecclesiam perpetuo mansuram esse oporteret, non solis ea Scripturis, sed alio quodam praesidio instrui debuit. Scilicet divini auctoris fuit illud cavere, nequando coelestium doctrinarum thesaurus in Ecclesia dissipatus deficeret: id quod necessitate futurum erat, si eum singulorum hominum arbitrio permississet. Opus igitur fuisse apparet ab initio Ecclesiae magisterium aliquod vivum et perenne, cui ex Christi auctoritate demandata esset tum salutifera ceterarum rerum doctrina, tum interpretatio certe Scripturarum; quoque, assiduo Christi ipsius auxilio munitum ac septum, nullo modo delabi

(1) In Ps. 146, n. 12.

(2) Doctr. Chr., lib. III, c. 37, n. 56.



in errorem docendo posset. Cui rei sapientissime Deus cumulateque providit, idque per unigenitum Filium suum Jesum Christum: qui scilicet germanam Scripturarum interpretationem tum in tuto posuit cum Apostolos suos in primis et maxime jussit, nequaquam dare scriptioni operam, neque vulgo diribere vetustiorum Scripturarum, sine discrimine, sine lege volumina, sed omnino edocere gentes viva voce universas, et ad cognitionem professionemque doctrinae coelestis, alloquendo, perducere: *Euntes in mundum universum, PRAEDICATE Evangelium omni creaturae* (1). — Principatum autem docendi contulit uni, quo tamquam fundamento universitatem Ecclesiae docentis niti oporteret, Christus enim cum claves regni coelorum Petro traderet, una simul ei dedit ceteros regere qui *ministerio verbi* fungerentur; *Confirma fratres tuos* (2). Hoc itaque magisterio cum disceret fideles debeant quaecumque ad salutem pertinent, ipsam petant divinorum librorum intelligentiam necesse est.

Facile autem apparet quam incerta sit, et manca, et inepta proposita eorum ratio, qui Scripturarum sensum unice ipsarum Scripturarum ope vestigari posse existimant. Nam eo dato, suprema lex interpretandi in judicio denique consistet singulorum. Jamvero, quod supra attigimus, prout quisque comparatus, animo, ingenio, studiis, moribus ad legendum accesserit, ita divinorum sententiam eloquiorum iisdem de rebus interpretabitur. Hinc discrepantia interpretandi, dissimilitudinem sentiendi, contentionesque gignat necesse est, converso in materiam mali, quod unitati concordiaeque bono datum erat.

Quae quidem quam vere dicamus, res loquitur ipsa. Nam omnes catholicae fidei expertes atque inter se dissentientes de religione sectae, id sibi singulae sumunt ut omnino placitis institutisque suis suffragari sacras litteras contendunt. Adeo nullum est tam sanctum Dei donum, quo non abuti ad perniciem suam homo queat, quandoquidem divinas ipsas Litteras, quod gravi sententia monuit beatus Petrus *indocti et instabiles depravant... ad suam ipsorum perditionem* (3). His de causis Irenaeus, recens ab aetate Apostolorum idemque filius eorum interpres, inculcare hominum mentibus nunquam destitit, non aliunde accipi notitiam veritatis, quam ex viva Ecclesiae institutione oportere: «Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritu Dei, et ubi Spiritu Dei ille Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas... (4) Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere

(1) In Gen. Op. Imp.

(2) Marc., XXI, 15.

(3) II Petr., III, 16

(4) Adv. Haer., lib. III.



»oportet veritatem apud quos est ea quae est ab Apostolis Ecclesiae successio» (1). — Quod si catholici, quamvis in genere civilium rerum non ita conjuncti, conexi tamen aptique inter se unitate fidei mirabili tenentur, minime est dubium quin hujus praecipue magisterii virtute et ope teneantur.

Scotorum nobiscum de fide dissidentium complures quidem Christi nomen ex animo diligunt, ejusdem et disciplinam assequi et exempla sanctissima persequi imitando nituntur. At qui mente et animo unquam adipisci poterunt quod laborant, nisi erudiri sese atque alii ad caelestia ea ratione et via patiantur, qua Christus ipse constituit? nisi dicto audientes Ecclesiae sint, cui praecipienti ipse auctor fidei perinde obtemperari homines jussit ac sibi: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit me spernit?* nisi requirant alimenta pietatis virtutumque omnium ex eo, cui Pastor summus animarum vicario dedit esse sui muneris, universi gregis cura concredita? Interea certum Nobis est Nostri non desse partibus; imprimisque supplices contendere a Deo, ut inclinatis ad bonum mentibus velit pollicera gratiae suae incitamenta adjicere. Atque utinam divina Nobis exorata benignitas hoc Ecclesiae matri solatium optatissimum largiatur, ut Scotos universos ad fidem avita *in spiritu et veritate* restitutos complecti celeriter queat. Quid non ipsis sperandum, reconciliata nobiscum concordia? Confestim effulgeret undique perfecta et absoluta veritas cum possessione honorum maximorum, quae secessione interierant. Quibus in bonis longe excellit unum, quo miserrimum est carere: sacrificium sanctissimum dicimus, in quo Jesus Christus, sacerdos idem et victima, Patri suo se offert ipse quotidie, ministerio suorum in terris sacerdotum. Cujus virtute sacrificii infinita nobis Christi applicantur merita nimirum divino cruore parata, quem actus in cruce pro salute hominum semel effudit. Harum fides rerum florebat integra apud Scotos, quo tempore S. Columba mortale agebat aevum: itemque postea cum templa maxima passim excitarentur, quae majorum vestaorum excellentiam et artis et pietatis posteritati testantur. — Necessitatem vero sacrificii vis ipsa et natura religionis continet. In hoc enim est summa divini cultus, agnoscere et revereri Deum ut supremum dominatorem rerum, cujus in potestate et nos et omnia nostra sunt. Jamvero non alia est ratio et causa sacrificii, quae propterea *res divina* proprie nominantur: remolisque sacrificiis, nulla nec esse nec cogitari religio potest. Lege veteri non est lex inferior Evangelii: imo multo praestantior, quia id cumulate perfecit, quod illa inchoarat. Jamvero sacrificium in Cruce factum praesignificabant sacrificia in testamento veteri

(1) Adv. Haer., lib. IV.



usitata, multo ante quam Christus nasceretur: post ejus ascensum in coelum, idem illud sacrificium sacrificio eucharistico continuatur. Itaque vehementer errant, qui hoc perinde respuunt, ac si veritatem virtutemque sacrificii deminuant, quod Christus, cruci suffisus, fecit; *semel oblatus ad multorum exhaustiendae peccata* (1). Omnino perfecta atque absoluta illa expiatio mortalium fuit: nec ullo modo altera, sed ipsa illa in sacrificio eucharistico inest. Quoniam enim sacrificalem ritum comitari in omne tempus religioni oportebat, divinissimum fuit Redemptoris consilium ut sacrificium semel in Cruce consummatum perpetuum et perenne fieret. Hujus autem ratio perpetuitatis inest in sacratissima Eucharistia, quae non similitudinem inanem memoriamve tantum rei affert, sed veritatem ipsam, quamquam specie dissimili: proptereaque hujus sacrificii efficientia sive ad impetrandum sive ad expiandum, ex morte Christi tota fuit: *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus* (2).

Jam, quod reliquum est, ad eos qui catholicum nomen profitentur Nostra propius spectat oratio: idque ob eam causam, ut proposito Nostro prodesse aliquid opera sua velint, Studere quoad quisque potest, proximorum saluti christiana caritas jubet. Quamobrem ab eis primum omnium petimus, ut hujus rei gratia orare atque obsecrare Deum ne desinant, qui lumen efficax mentibus effundere, voluntatesque impellere quo velit, solus. Deinde, quia ad flectendos animos plurimum exempla possunt, digni se ipsi praestent veritati, cujus divino munere sunt compotes; ac bene moratae instituto vitae objiciant commendationem fidei, quam profitentur: *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona* (3): unaque simul civilium cum exercitatione virtutum efficiant, ut illud quotidie magis appareat, religionem catholicam inimicam civitati, nisi per calumniam, traduci non posse: quinimo alia in re nulla plus reperiri ad dignitatem cummodunque publicum praesidii.

Illud etiam magnopere expedit, tueri religiosissime, imo etiam stabilire firmiter, septamque omnibus praesidiis tenere catholicam adolescentis aetatis institutionem. Haud sane latet Nos, cupidae discendi juventuli suppeterere apud vos publice ludos probe instructos, in quibus certe optimam studiorum rationem non requirant. Sed eniti atque efficere necesse est, ut domicilia litterarum catholica nulla in re concedant ceteris: neque enim est

(1) Hebr., IX, 28.

(2) Mal., I, 11.

(3) Mat., M, 16.



emitendum, ut adolescentes nostri minus parati existant a litterarum scientia, ab elegantia doctrinae, quas res fides cristiana honestissimas sibi commitens ad tutelam et ornamento exposcit. Postulat igitur religionis amor et patriae caritas, ut quaecumque catholici apte instituta habent vel primordiis litterisque, vel gravioribus disciplinis tradendis, ea constabilienda et augenda pro suis quisque facultatibus curent. —Aequum est autem adjuvari praecipue eruditionem cultumque Cleri, qui non aliter suum hodie locum digne utiliterque tenere potest, quam si omni fere humanitatis et doctrinae laude floruerit. Quo in genere beneficentiae catholicorum studiosissime ad opitulandum proponimus Collegium Blairense. Opus saluberrimum, magno studio ac liberalitate inchoatum a pientissimo cive, ne patiantur intermissione collabi et interire, sed aemula munificentia in majus etiam provehant, ad fastigiumque celeriter perducant. Tanti enim id est quanti providere ut ferme in Scotia sacer ordo rite congruenterque temporibus edduci possit.

Haec omnia, Venerabiles Fratres, quae propensissimus in Scotos animus Nobis expressit, sic habete ut sollertiae potissimum caritativae vestrae comendata puletis. Porro eam nativitatem, quam nobis luculenter probastis adhuc, probare pergite, ut ista efficiantur quae non parum videntur proposito conducibilia. Perdifficiles sane causa est in manibus, ut professi saepe sumus, humanisque viribus ad expediendum major; sed longe sanctissima consiliisque divinae bonitatis apprime congruens. Quare non tan difficultas rei Nos commovel, quam recreat ea cogitatio, vobis ad praescripta Nostra elaborantibus, Dei miserentis opem numquam abfuturam.

Auspicem coelestium munerum, et paternae Nostrae benevolentiae testem, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, Clero, populoque vestro, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petr., die XXV Julii MDCCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

LEO PP. XIII.